

O Btulit nobis Epigrammatum libros duos
 Ioannes Gastius ecclesie Basiliensis dia/
 conus, quos singulari industria ex dili/
 genti lectione Christianorum poetarum collegerat, ut
 illos prelo, quod à nouo institueramus, caractere
 pulchro exciperemus, persanctè iurans, nihil utilius,
 iucundius, ac perfectius pueris tam in scholis publicis
 quàm priuatis in adibus proponi & prælegi posse.
 Euoluimus hos libellos cùm ociù à typographicis ne/
 gotijs erat, unã & alterã paginã, et id quod iam desi/
 derabamus, magna cum letitia sese offerebat. Nempe
 ex Christianis poetis ad uitæ Christiane institutionẽ
 pictura elegantissima. Christianis enim nihil nisi Chri/
 stianum, hoc est sacrosanctũ, et præcipuè tenere eta/
 ti ab ipsis incunabulis & crepundijs tradendum, cùm
 doctrina semel imbibita tenacissimè inhereat, radi/
 cesq; figat adeò profundas, ut magno labore raro ex/
 tirpetur. Et stultissimum est ad imitandum non ea quæ
 utilissima sunt proponere. Dic obsecro, quid opus gen/
 tilium Poetarum scriptis (de obscœnis & turpibus lo/
 quor) cùm apud Christianos multo doctiora, uenustio/
 raq; habeas, in quibus & Christi doctrinam haurire,
 & uitæ honestatem discere examussum liceat? Habes
 crede mihi, hijs in libris pias ad Christum preces, lau/
 des natiuitatis, resurrectionis, & ascensionis Christi,
 de otio uitando, de adulatoribus, hypocritis, curiosis
 hominibus, de cruce nonnulla, de patientia, &c. Sed
 a. 2 noluanus

nolumus in re manifesta profundere uerba, si emeris,
 & legeris, certi sumus institutum illud non solum ti-
 bi probari, & ambabus ulnis amplecti, sed etiã confi-
 dimus alios te instigaturũ, ut similia Christianis scho-
 lis, aut in lucem edant, aut si tali facultate careant, sal-
 tem innocuis pueris, quibus Christus manus imposuit,
 quosq; benedixit, ea proponant, quæ sancta, quæ pia,
 quæ Christiana sunt, ne adeo misere obscœnis dictis
 & scriptis, imò fabulis, quæ aliquando plus obsunt,
 quàm profunt anima innocua commaculetur. Præte-
 rea quid Ioannes Susenbrotus suis uigilijs, quas in hos
 libros sedula opera impendit, profecerit, tuo relinqui-
 mus iudicio, cui meritò gratias ages, ob tam immen-
 sum laborem. Vale lector candidè, & nostram ope-
 ram ære tuo compensa. Adijciemus, deo uitam pro-
 longante, adhuc duos epigrammatum libros, qui iam
 parati sunt, quorum maior pars nec uisa,
 nec edita. Vale, Basileæ ex officii
 na nostra 1542 Mense
 Aprili.